כנ״ה:

COMPUTUS JULIO-CONSTANTINIANUS,

Seu

Stylus Vetuſtior,

DISSERTATIONE CHRONOLOGICA
examinatus,
Quam
in Inclutâ LEUCOREA
PRÆSIDENTE
Viro Plurimum Reverendo, Ampliſſimo atq; Excellentiſſimo
DN. ÆGIDIO STRAUCHIO,
S. S. Theolog. Licent. Mathematum Profeſſ. Publ.
Hiſtoriarumq; Subſtituto longè Celeberrimo,
Facultat. Philoſ. h. t. DECANO
Spectabili,
DN. Promotore, Præceptore ac Patrono ſuo perpetim amando, æternumq; devenerando,
Publicæ συμφιλολογούντων πρὸς διάλεξιν
ſubmittit
MATTHIAS ERASMUS Kohlreiff/
cis Svevum Marchicus.
in Audit. Majori, ad diem 10. Maji.

WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt,
Anno M DC LXII.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

INter ea, quibus benè conſtituta Reſpublica carere non poteſt, ad uſum communem apta quædam temporum ordinatio, principem locum occupat. Neq; enim cuivis tempori conveniunt omnia, cum ipſa natura intervalla quædam, atque laborum & quietis viciſſitudines poſtulet, nec ullius gentis tanta immanitas unquam fuit, ut omnes temporum diſtinctiones neglexerit penitus. Cum ipſâ potiùs Politiâ communem quaſi natalem videntur FASTI habuiſſe & cœpiſſe adeò, quando legitime inſtitutæ Societates ſunt. Dicam amplius, primæ omnium rerum origini antiquitate ſua non cedunt, Omnipotentis Creatoris ſementiâ in mundum recens natum, nec tam abſolutum, introducti; Ita enim de Luminaribus dixiſſe Conditorem, penes Moſen legimus; והיו לאתת ולמועדים ולימים ושנים *Sint in ſigna, & ſtatuta tempora dieiq; & annos*. Gen. 1, 14. Hæc prima Computi & Sacra adeò incunabula fuerunt, hic Faſtorum ortus. Ut mirum adeò non ſit, ex innata quadã ſollicitudine de eo potiſſimùm laboraſſe gentes, ut ad motuum cœleſtium normã patirentur tempora, quando Deus ipſe in hunc uſum ſtellas condidit. Atq; ut de aliis gentibus in præſenti non dicamus, Romanorũ certè Reſpublica, uti nunquam caruit Faſtis, ita eoſdem diverſis temporibus, & pro incremento ſideralis Scientiæ, diverſos habuit, nullos verò, qui durarint diutius, quàm quos Julius Cæſar introduxit primùm, & diebus feſtis inſtruxit Conſtantinus. De his igitur, [poſt] brevem antiquioris computi explicationem, agere nunc [an]imus eſt, quod ut fiat feliciter, FAXIT DEUS!

§. 1. Primi Urbis incolæ, ſive Sabini, ſive Albini, ſive [V]olſci illi fuerint, qualem habuerint temporum σύνταξιν, [...]em menſium & dierum ordinem, non minus quam alia, [...]ris hujus originem concernentia, latent nos hodie, ut ab [...]citate temporis ipſa ejus priſca diſpoſitio videatur conſum[...] Hoc unum vulgò traditur; primum Romanorum Re-

gem,

gem, & vel Autorem urbis vel amplificatorem, Romulum decimeſtrem annum, Dierum 304. inſtituiſſe, in quo ordo menſium unà cum quantitate eorundem ita ſe habuerit: *Martius Dier. XXXI. Aprilis XXX. Majus XXXI. Junius XXX. Quintilis XXXI. Sextilis XXX. September XXX. October XXXI. November XXX. December XXX.* Et quamvis *Joſephus Scaliger*, & *Albericus Gentilis*, aliiq; annum Romuleum ab initio ſtatim duodecimeſtrem fuiſſe aſſerant, & Licinium Macrum ac Feneſtellam pro ſe allegent, clariora tamen *Junii Gracchi, Fulvii, Varronis* & *Suetonii* adverſa ſunt teſtimonia, quàm quæ ulla arte eludi poſſint, uti alio tempore, quando de Computo Veterum Romanorum agebamus, illud abundè demonſtratum eſt; Actum enim nunc agere non lubet. De eodem certè, decimeſtri nempe anno, ita *Ovidius* cecinit:

L. de Emend. Temp. de divers. tempor. appell.

L. 1. Faſtor.

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno,
Conſtituit menſes quinq; bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quàm ſidera Romule noras,
Curaq; finitimos vincere, major erat.
Eſt tamen & ratio Cæſar, quæ moverit illum,
Erroremq; ſuum quo tueatur habet.
Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in viduâ triſtia ſigna domo.

§. 2. Poſtquàm Romulus fatis conceſſerat, Imperii Summâ ad Numam Pompilium devolutâ, prima hujus cura Kalendarii fuit correctio, de quibus, Pompilianis nempe Faſtis, duo apud præſtantiſſimos Scriptores extant teſtimonia. Primû *Titus Livius* ſuppeditat, Auguſti ὁμήλικος, ut qui, Euſebiô in Chronicis teſte, quartô Tiberii annô obiit, *atq; omnium primum* inquit, *ad curſum Lunæ in XII. menſes deſcribit annum, quem (quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntq; dies ſolido anno, qui Solſtitiali circumagitur orbe) intercalaribus menſibus interponendo ita diſpenſavit, ut vigeſimo anno ad metam eandem ſolis, unde orſi eſſent, plenis anno-*

L. 1. Hiſt.

rum

[illegible] omnium ſpatiis dies congruerent. Item nefaſtos dies faſtosq́; fecit, quia aliquando nihil cum populo agi, utile futurum erat. Et quamvis *Joſepho Scaligero* vitioſa videatur hæc textus Livii Lectio unà cum altera, quâ *vigeſimo quoq; quarto anno* legitur, eò, quod per *plena ſpatia* intercalationes Merkedonii intelligendas, earumq; periodum XXII. annis abſolutam eſſe autumet; nos tamen in antiqua illa lectione acquieſcere maluimus, quàm in corrigendis Autoribus temerarii videri, præſertim quod *Leo Allatius* jam pridem animadverterit, per plena annorum ſpatia non intercalationes *Merkedonii* intelligi, quæ hypotheſis correctionis Scaligerianæ fundamentum eſt, ſed Livium de tota annorum periodo abſoluta, ac diebus omnibus, quibus dies Solis exæquat, locutum eſſe. Tunc enim plena ſpatia ſunt, cum hiatus omnes ſupplentur & mutila integrantur. Quod quia de annis ſingulis dici non potuit, cum Solem iſ conſecuti non ſint, ſed ab ejus curſu diebus decē cum quadrante defecerint; ideò annorum plurium periodus quæſita eſt, quæ ſuo curſu neq; excederet dies Solares, neq; ab illis excederetur, quæ tunc plena ſpatia habuiſſe à Livio dicitur. *de Emend. Temp. l. 2.* *de Menſ. Temp. c. 11.*

§. 6. Alter de anno Pompiliano locus in *Plutarchi Chæronenſis*, Livio paulo recentioris, extat Commentariis, & prolixior quidem eſt, ſed de anno Veteri nos unà pleniſſimè inmonet: *in vita Numæ.*

Ἥψατο δὲ καὶ τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν πραγματείας, οὔτ᾽ ἀκριβῶς, οὔτε παντάπασιν ἀθεωρήτως. Ῥωμύλου γὰρ βασιλεύοντος ἀλόγως ἐχρῶντο τοῖς μησὶ καὶ ἀτάκτως, τοὺς μὲν, οὐδὲ εἴκοσιν ἡμερῶν, τοὺς δὲ, πέντε καὶ τριάκοντα, τοὺς δὲ, πλείονας ἀριθμοῦντες· ἔννοιαν δὲ τῆς γινομένης ἀνωμαλίας περὶ τὴν σελήνην καὶ τὸν ἥλιον οὐκ ἔχοντες, ἀλλ᾽ ἓν μόνον φυλάττοντες, ὅπως ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων ἡμερῶν ὁ ἐνιαυτὸς ἔσται. Νουμᾶς δὲ τὴν παραλλαγὴν τῆς ἀνωμαλίας ἡμερῶν ἕνδεκα γίνεσθαι λογιζόμενος, ὡς τοῦ μὲν σεληνιακοῦ τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας ἡμέρας ἔχοντος, τοῦ δὲ ἡλιακοῦ, τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε, τὰς ἕνδεκα ταύτας ἡμέρας διπλασιάζων ἐπήγαγε παρ᾽ ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ τὸν ἐμβόλιμον, ὑπὸ Ῥωμαίων Μερκηδῖνον καλούμενον, εἴκοσι καὶ δυεῖν ἡμερῶν ὄντα. καὶ τοῦτο μὲν αὐτῷ τὸ ἴαμα τῆς ἀνωμαλίας, μειζόνων ἔμελλεν ἰαμάτων δεήσεσθαι. μετέθηκε δὲ καὶ

ἐκίνησε τὴν τάξιν τῶν μηνῶν. τὸν γὰρ Μάρτιον πρῶτον ὄντα, τρίτον ἔταξε· πρῶτον δὲ τὸν Ἰανουάριον, ὃς ἦν ἑνδέκατος ἐπὶ Ῥωμύλου, δωδέκατος δὲ καὶ τελευταῖος ὁ Φεβρουάριος, ᾧ νῦν δευτέρῳ χρῶνται. πολλοὶ δ' εἰσὶν οἳ καὶ προστεθῆναι τούτους ὑπὸ Νουμᾶ τοὺς μῆνας λέγουσι, τόν τε Ἰανουάριον καὶ τὸν Φεβρουάριον, ἐξ ἀρχῆς δὲ χρῆσθαι δέκα μόνον εἰς τὸν ἐνιαυτόν. *Sub anni & ſiderum rationem non conſummate quidem, nec pingui tamen Minervâ. Nam Romuli regno menſes habuerant incertè confuſos, quum partim viginti dierum, partim quinque & triginta, alter plurium computarent, undisq; diſcrepantia curſus Lunæ & Solis unum hoc tenerent, ut eſſet annus CCCLX dierum. Numa inæqualitatis rationem undecim diebus animadvertens diſcrepare, quod Lunaris trecentis quinquaginta quatuor diebus conſtet, ſolaris verò expleat CCCLXV, geminatis undecim hiſce diebus, menſem intercalarem duorum & viginti dierum, quem Mercedonium vocant Romani, menſi Februario altero quoque anno inſeruit. Cæterùm hoc ejus remedium imparitatis opem requirebat majorem. Ordinem etiam vertit menſium, ac Martium, qui erat primus, tertio loco poſuit. Primum locavit eum, qui fuerat ſub Romulo undecimus, Januarium. Duodecimus & ultimus cum Februarius eſſet, quem nunc habent ſecundum. Plerique tamen adjunctos quoque ab Numa hos contendunt, Januarium & Februarium &c.*

§. 4. E duobus hiſce Veterum Scriptorum teſtimoniis, quamvis poſterius intricatum ſit, collatis iis, quæ ſparſim penes alios Auctores extant, non tantum colligimus annum Pompilii duodecimeſtrem fuiſſe, verè ut Poeta canit:

Fannius. *Huncq; in Lunæ parte eſt, quam menſis in anno.*

Sed Calendarium totum inſuper motum Lunæ exprimere debuiſſe. Enimverò putandum non eſt, motuum lunarium leges Numam calluiſſe exactè, eo ſcilicet ſeculo, quo armis magis, quam literis, novæ urbis incolæ inclaruerunt. Nam ſi Græci & Ægyptii à Cleobuli temporibus ad Ptolemæi uſq; ætatem, per tot ſecula, & quod excurrit annos, in determinando Lunari anno deſudarunt, ecquid Romanis erit tribuendum, quorum nec tantam in literis felicitatem, nec Sapientiæ, ab ipſis

ipſis uſq; Patriarchis derivata monumenta, ullis hiſtoria commemorat? Annus igitur Numæ planè ſaltem Lunaris fuit, id eſt ʒ55. dierum, cùm Aſtronomi quantitatem ejus ſcrupuloſiùs inveſtigarint & invenerint 354. Dierum, 8. Horarum 48. l. 35. ll. ut differentia inter annum Lunarem Aſtronomicum, & civilem Romanum 15 horarum fuerit, cum appendice 11. l. 25. ll. Qua de re ita *Scaliger*: *Non dubium igitur vetuſtum annum Romanum Lunarem fuiſſe, quatenus illorum temporum ingenia in motum Lunæ medium deprehendere quiverunt. Quid? Modus dierum illius anni Romani, cujus generis annum propius referre videtur? Lunarem an Solarem? Lunarem profectò, ſi quid in hac re hic videmus. Annus Lunaris verus eſt dierum 354. cum triente, & paulo plus quam duarum horæ trientium. Modus anni Romani eſt major vero anno Lunari horis 15. 11. l. non admodum magna differentia, ſaltem quæ poſſit diverſum genus conſtituere anni Romani & Lunaris, intelligo veteris rudioris & illo ſæculo. Quemque igitur annum Latinum, unde Romanus propagatus eſt ʒ55. Dierum conſtarnt & eum Lunarem facere in animo habebat, quem neq; putavit eſſe Dierum 355. quemadmodum tribus ſeculis poſtea Democritus eorundem dierum deſtituit.* — de Emend. Temp. l. 2.

§ 5. Quamvis autem annum Lunarem conſtituere voluerit Numa, menſes tamen Lunares non fecit; Nam & Cleoſtrati temporibus menſis *Lunæ* 29. Dierum & 12. Horarum aſſumptus eſt, & à *Nobiliſſimo Tychone* definitus exactiùs, quod ſit 29. Dier. 12. Horarum. 44. l. 3. ll. 9. lll. &c. quos numeros non expreſſit Numæ ſanctio, nec quam proximè quidem, Nam qui menſes civiles more Judaicô, alternatim cavos & plenos facere debuiſſet, aliâ inductus ratione, ita eos conſtituit, ut omnes exceptô Februario à Februo Luſtrationum Deô ſic dictô, numero dierum impari decurrerent. Quod negotium ità *Macrobius* explicavit: *Numa in honorem imparis numeri, ſecretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem, quem Januario dedit, ut tam in anno, quam in menſibus ſingulis præter unum Februarium impar numerus ſervaretur. Nam quia duodecim menſes, ſi ſinguli aut pari aut impari numero putarentur,* — Saturn. l. 1. c. 13.

 rentur,

tarentur, conſummationem parem facerent: unus pari numero inſtitutus univerſam putationem imparem fecit. Januarius igitur, Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December, undetricenis cenſebantur diebus & quintanas nonas habebant: ac poſt idus in omnibus ad ſeptimum decimum Kalendas computabatur. Martius vero, Majus, Quintilis & October, dies tricenos ſingulos poſſidebant. Nonæ in his Septimanæ erant. Similiterque poſt idus, decem & ſeptem dies in ſingulis uſque ad ſequentes Kalendas putabantur. Sed ſolus Februarius viginti & octo retinuit dies, quaſi inferis & diminutio & par numerus conveniret.

§. 6. Cæterum cum non merè Lunare, ſed Lunæ Solare temporis Syſtema meditatus ſit Numa, intercalationeque quadam menſium tempeſtates eaſdem ſemper ſervare inſtituit, & hanc Februario aſſignavit, quoniam is ultimus anni menſis erat. Poſt Terminalia igitur ſeu XXIII. Februarii diem, menſis Emboliſmus ſequebatur, quem *Plutarchus* Mercedonium vocavit, quaſi Mercedinum à Dea Mercedona, quæ mercedibus & penſionibus ſolvendis præerat. Merito autem *Joſephus Scaliger* miratus eſt, hoc nomen ſolo unum Græcum Scriptorem rerum Romanarum extare, apud Latinos hujus ne veſtigium quidem apparere; non quod intercalationem ignoraſſe videantur Veteres, ſed quod menſem emboliſmum, vel abſolutè intercalarem vocarint, vel ſub Februario comprehenderint, quod ante hujus finem adjecti illi dies notarentur, veluti *Terentius Varro* perhibet: *Terminalia, quod is dies anni extremus conſtitutus. Duodecimus enim menſis fuit Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur menſe.* E quo Varronis loco facilè intelligitur, quem diem intellexerit *Cicero*, quando pridie Terminalia intercalatum dixit, non alium ſcilicet, quam qui D. 23. Februarii alias ſignaretur.

in Numa & Cæſare.

de Emend. T. l. 2.

l. V. de ling. Lat.

pro P. Quintio.

§. 7. Quamvis autem, quæ priſtina Romanorum intercalandi fuerit ratio, e nonnullis antiquorum monumentis & ex eo imprimis colligi poſſit, quod conſtat veteres alternis intercalarium menſem XXII. vel XXIII. dierum alternis an-

nis annis additum fuiſſe, non tamen idem intercalandi inſtitutum, cui tunc Pontifices præerant, antiqua Romanorum tempora non parum incerta reddidit, & miram in rebus omnibus confuſionem introduxit: De quo *Cenſorinum* conqueſtentem audiamus: *Cum intercalarem menſem viginti dierum, vel viginti duum alternis annis addi placuiſſet, ut civilis annus ad naturalem exæquaretur: in menſe potiſſimum Februario, inter Terminalia & Regifugium, intercalatum eſt, idque diu factum priuſquam ſentiretur, annos civiles aliquanto naturalibus eſſe majores. Quod delictum ut corrigeretur, Pontificibus datum negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permiſſa. Sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magiſtratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove eſſet, plus minusve ex libidine intercalando, rem ſibi ad corrigendum mandatam, ultro depravarunt.* Univerſa igitur temporum ratio cum olim Pontificibus commiſſa fuerit, & hi invidioſe negligenter atque iniquè idem negotium tractarint, peſſime tunc cum Kalendario actum eſt. *Poſſet agi lege, necne,* inquit alicubi Cicero, *pauci quondam ſciebant: faſtos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia qui conſulebantur; à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis petebantur.* Et quamvis poſtea inventus ſit Scriba quidam *Cn. Flavius*, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, uti idem addit *Tullius*, & ante hunc *T. Livius* Flavium eo nomine commendaverat, quod civile jus repoſitum in penetralibus Pontificum evulgavit, faſtosq; circa forum in albo propoſuerit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur: intercalandi tamen, dieſq; vel eximendi vel tranſponendi arbitrium, penes Pontifices manſit. Unde eo ſeculo incertiſſima erat res, an intercalaris menſis Romæ additus fuerit, necne, quemadmodum ex eodem Cicerone liquet, qui ab Attico ſuo poſtulat: *Cum ſcies Romæ intercalatum, velim ad me ſcribas certum, quo die myſteria futura ſint.* Et alibi: *Facies me, in quem diem Romana incidant myſteria, certiorem, & quomodo hiemaris.* Atq; hoc vitioſa illa Veteris anni trun-

de D. Nat. c. 20.

pro L. Murena.

lib. IX. in fin.

l. 5.

catio

catio & intercalatio ſpectare videtur, cujus denuo Cicero mentionem fecit. Locum integrum adſcribemus, quamvis prolixior ſit, de corruptiſſima enim temporum ratione quæ eo ſeculo obtinuerit nos certiores facit: *Herodotus Romæ erat: ſero putabat, ſe ad comitia tempore venturum, ſi pridie veniſſet. Iſte, ne aut alio menſe, ut fas erat, comitia haberentur, aut Herodoto præſenti honos adimeretur, id quod iſte non laborabat, Climachias maxime valebat, excogitat (dixi jam dudum: non eſt homo acutior quiſquam, nec fuit) excogitat, inquam, quemadmodum menſe illo legitime comitia haberentur, nec tamen Herodotus adeſſe poſſet. Eſt conſuetudo Siculorum, cæterorumq; Græcorum, quod ſuos dies, menſesq; congruere volunt cum Solis, Lunæq; ratione: ut nonnunquam, ſi quid diſcrepet, eximant unum aliquem diem, aut ſummum, biduum ex menſe: quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant: item nonnunquam uno die longiorem menſem faciunt, aut biduo. Quæ iſte cum cognoviſſet, novus Aſtrologus, qui non tam cœli rationem, quam cælati argenti duceret, eximi jubet non diem ex menſe, ſed ex anno unum, dimidiatumq; menſem, hoc modo, ut qua die, verbi cauſa, eſſe oporteret Idus Januarias, ea die Kalendas Martias proſcriberet, itaq; fit, omnibus recuſantibus & plorantibus. Dies is erat legitimus comitiis habendis. eo modo Sacerdos Climachias renunciatus eſt. Herodotus cum Roma revertitur, diebus, ut ipſe putabat, quindecim ante comitia, offendit eum menſem comitialem, comitiis jam abhinc triginta diebus habitis. Tum Cephaloeditani decreverunt intercalarium XLV. dies longum, ut reliqui menſes in ſuam rationem reverterentur.*

In Verrem. l. 2.

§. 8. Huculq; de Kalendario antiquo, quale à Romuli temporibus apud Romanos in uſu fuit, egimus, unde ſimul, quam cauſam Cæſar habuerit, de novis Faſtis cogitandi, oppido innoteſcit: Nil enim Rempubl. dedecorabat magis, quam hujuſmodi temporum confuſio, de qua Autores quiritantes audivimus. Querelarum igitur pertæſus Julius, negotium ſe dignum aggreſſus eſt. Diximus enim antea & è veteris Scriptoribus *Alexander ab Alexandro* commemorat, Pontificum fuiſſe hanc curam, ordinare tempora & Faſtis præeſſe,

L. 2. Genial. Dier. c. vııı.

quem-

admodum & novam Lunam obſervaſſe, & quot dies à Kalendis ad Nonas ſupereſſent, referre ſoliti ſunt, ut populo cauſas feriarum à Rege Sacrorum recipiendi facultas foret. Quamobrem cum magna eo tempore Pontificum fuerit autoritas, & tanta quidem, ut cum cœteri honoribus functi, rationem adminiſtrati muneris reddere cogerentur, Pontifex tamen maximus, pro majeſtate geſti honoris, rationem dare minime cogi potuerit, dignitatem hanc ſummo conatu affectavit Cæſar, eandemq; obtinuit. De qua re ita *Suetonius: Depoſita provinciæ ſpe, Pontificatum maximum petiit, non ſine profuſiſſima largitione. In qua reputans magnitudinem æris alieni, cum mane ad Comitia deſcenderet, prædixiſſe matri oſculanti fertur, domum ſe niſi Pontificem non reverſurum. Atq; ita potentiſſimos duos competitores, multumq; & ætate & dignitate antecedentes, ſuperavit, ut plura ipſe in eorum tribubus ſuffragia, quam uterq; in omnibus tulerit.* *Dion. Halicarn. l. 2.* *l. 1. in Jul. Cæſ.*

§. 9. Tanta igitur & dictaturæ inſuper poteſtate, cum conſulatibus ſimul decretæ, pollens Cæſar, ad corrigendos Faſtos animum adjecit, & commodè quidem tunc accidit, quod Soſigenes Alexandrinus Cæſari præſtò fuerit. Erat enim Alexandrinorum propria hæc gloria & famæ celebritas, quod Siderum motum præ aliis populis cognitum habuerint, conſervatis in Ægypto, ab ipſis Patriarcharum temporibus, ſideralis ſententiæ reliquiis. Quamvis nec Soſigenes, quibus diebus cardines illigari ac æquinoctia, nec non Solſtitium & bruma conſtitui deberent, ſatis cognoverit. De eodem ita *Plinius: Tribus commentationibus, quanquam diligentior eſſet ceteris, non ceſſavit tamen addubitare, ipſe ſemet corrigendo.* *l. 18. c. 25.* Sed quemadmodum quis fuerit Soſigenes parum habemus compertum, ita de eo, quod Solis anfractum & reditum in conſtituendo anno obſervandum eſſe, Autor fuerit Cæſari, conſtat plenè, & univerſum negotium hinc *Ammianus Marcellinus* fuſè explicavit, niſi quod Octaviano tribuat, cujus Autor Julius Cæſar extitit. Spatium anni vertentis, inquit, id eſſe periti mundani motus & ſiderum definiunt Veteres, inter quos Meton, & Euctemon, & Hipparchus & Ar- *l. XXVI. Rer. Geſt.*

 chime-

chimedes excellunt, cum Sol perenni rerum ſublimium lege polo percurſo ſignifero, quem Zodiacum ſermo Græcus appellat, trecentis & ſexaginta quinq; diebus emenſis & noctibus ad eundem redierit cardinem: ut verbo tenus, ſi à ſecunda particula elatus Arietis, ad eam dimenſione redierit terminata. Sed anni intervallum veriſſimum memoratis diebus & horis ſex ad uſq; meridiem concluditur plenum: anniq; ſequentis erit poſt horam ſextam initium, porrectum ad veſperam. Tertius à prima vigilia ſumens exordium, ad horam noctis extenditur ſextam. Quartus à media noctis uſq; ad claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio variantibus annorum principiis, & quodam poſt horam ſextam diei, alio poſt ſextam excurſo nocturnam, ſcientiam omnem ſqualida diviſione confundat, & autumnalis menſis inveniatur quandoq; vernalis, placuit ſenas illas horas, quæ quadriennio viginti colliguntur atq; quatuor, in unius diei noctiſq; adjectæ tranſire menſuram. Hocq; altè conſideratò, eruditis conſcientibus multis effectum eſt, ut ad unum diſtinctumq; exitum converſio curſus annui revoluta, nec vaga ſit, nec incerta, nulloq; errore deinceps obumbrata ratio cœleſtis appareat, & menſes tempora retineant præſtituta. Hæc nondum extentis fuſius regnis diu ignoravere Romani, perq; ſecula multa obſcuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, cum in Sacerdotes poteſtatem tranſtuliſſent intercalandi: qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium ſuum detrahebant tempora, vel augebant. Hocq; exceptò, emerſerunt alia plurima, quæ fallebant, quorum meminiſſe nunc ſupervacaneum puto. Quibus abolitis Octavianus Auguſtus Græcos ſequutus, hanc inconſtantiam correcta turbatione compoſuit, ſpatiis duodecim menſium & ſex horarum magna deliberatione collectis: per quæ duodecim ſiderum domicilia ſol diſcurrens motibus ſempiternis, anni totius intervalla concludit. Quam rationem biſſexti probatam, etiam victura cum ſeculis Roma adjumento numinis divini fundavit

Hæc Ammianus.

§. 10. Suet-

§. 10. Summa igitur correctionis Julianæ & baſis univerſi computi in eo conſiſtit, quod annum 365. Dierum & 6. horarum æſtimarit Soſigenes, horarumq; non niſi diem æquantium rationem haberi & ita annum uno augeri die voluerit. Cæterùm addititio diei datus eſt hic locus, quem menſis intercalaris olim obtinuit, id eſt, inter Terminalia & Regiſugium ita eum inſeruerunt, ut ſextum Kalendarum Martii bis numerarint, ſeu pro uno eodemq; die & biſſexti & Regifugii diem habuerint; Ita enim *Celſus*, cujus verba in Digeſtis, Tit. de verborum ſignificatione leguntur. *Cum biſextus Kalendas eſt, nihil refert, utrum priore an poſteriore die quis natus ſit : & ſic deinceps ſexto Kalendas ejus natalis dies eſt. Nam id biduum pro uno die habetur : Sed poſterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatum non eſt, ſexto Kalendas natus, cum biſextus Kalendas eſt, priorem diem natalem habet.* In noſtris Faſtis VI. huic Kalendarum Martii diei Matthiæ Apoſtoli nomen appoſitum legitur, unde verſus:

Biſſextum ſextæ Martis tenuere Kalendæ,
Poſteriore die celebrantur feſta Mathiæ.

§. 11. Quia verò circa Solſtitium hybernum Cæſar annum ſuum auſpicari voluit, ut impleretur illud Poëtæ:

Bruma novi prima eſt, veterisq; noviſſima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem;

ideò annus ille, quo correctio contigit & quo Cæſar tertium cum Æmilio Lepido conſulatum geſſit, mirificè auctus eſt, ita, ut ad 445. dies uſq; pervenerit, quod *Suetonius* infert teſtimonium: *Converſus hinc Julius ad ordinandum Reipublicæ ſtatum, faſtos correxit, jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, ut neq; meſſium feriæ æſtati, neq; vindemiarum autumno competerent, annumq; ad curſum Solis accommodavit, ut 365. dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoq; anno intercalaretur. Quo autem magis in poſterum è Kalendis Januarii novis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem interjecit duos alios, fuitq; hic annus, quo hæc conſtituebantur, 15 menſium, cum intercalario, qui ex conſue-* *In Vit. Cæſ.*

conſuetudine in eum annum inciderat. Et quamvis de anno confuſionis diſſentire eruditos non ignorem, aliis 445, aliis 444, aliis deniq; non niſi 424 dierum eundem fuiſſe aſſerentibus, potior tamen nobis *Cenſorini* aſſertio eſt, qui dierum ſummam primò poſitam diſertè determinat, quando ait: *Cæſar Pontifex maximus, ſuo tertio & Æmilij Lepidi Conſulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menſes intercalarios dierum 67. inter menſem Novembrem & Decembrem interpoſuit, cum jam menſe Februario Dies 23 intercalaſſet, fecitq; eum annum dierum 445.*

§. 12. Porrò quô annô Juliana Faſtorum immutatio acciderit, è nominatis à *Cenſorino* Conſulibus colligere in facili eſt. Idem enim Conſulum par annum Per. Jul. 4668 Cyclo Solis xx notabilem manifeſtò monſtrat, quando Cæſar poſt expeditiones varias & noviſſimè Pharſalicam atque Africanas victorias confirmatus in Imperio, Rempublicam ſolus gubernabat; Illud enim ad innovandas res omnes aptiſſimum tempus videbatur. Sed & populum recenti inſtitutô demereri Cæſar, atq; ſibi obligare amplius voluit, cum apta & conſtans temporum diſpoſitio omnium interſit civium. Quod ſi igitur *Cn. Flavius* magnam ab univerſo populo gratiam quondam

Liv. l. IX.

iniit, quando Faſtos circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur, majora certè meritus Cæſar eſt, qui non vitioſos, ut anteà, ſed correctos Faſtos, eosdemque Pontificum libidini in poſterum non obnoxios, introduxit, unde etiam dubio procul factum eſt, quod Faſti hi, & propagati latiſſimè & diutiſſimè retenti ſint: Nam & invictis à Julio Cimbris ante multa ſecula placuerunt, quemadmodum *Clariſſimus Polyhiſtor Dn. Olaus Worm* perſpicuè edocet.

de Faſtis Dan. c. VII.

§. 13 Anno igitur ante Nativitatem Chriſti 45. Faſti Solares Lunæ-Solarium loco introducti ſunt, ſeu annus ad motus Solis ratiocinia unicè ordinatus, Solarium verò menſium nulla ratio habita eſt, vel quod neſciverit Cæſar exactam eorundem quantitatem, vel quod illos ad Kalendarium uſuale minus aptos judicarit, quippe qui, ut *Cenſorinus* ſcribit, *neq; per æque inter ſe pares ſunt, nec dies habent totos, quam vis Geminus totos dies referre conatus ſit, cujus opinio eſt Solem moturi in*

de Die Nat. c. XXII.

Ari-

Ariete, D. xxxi.	Libra, D. xxx.
Tauro, D. xxxii.	Scorpio, D. xxx.
Geminis, D. xxxii.	Sagittario, D. xxix.
Cancro, D. xxxi.	Capricorno, D. xxix.
Leone, D. xxxi.	Aquario, D. xxx.
Virgine, D. xxx.	Piſcibus, D. xxx.
D. clxxxvii.	D. clxxviii.

§. 14. Quamvis autem Solares menſes non inſtituerit Cæſar, ſed civiles tantùm, quantitatem tamen eandem omnibus minimè tribuit, prout commodè illud potuiſſet facere, ſi vetuſtum *Naboraſſari* Computum imitari voluiſſet, nam in eodem omnes menſes τριακονθήμεροι fuerunt, quibus 5 ἐπαγομένας addiderunt, Ægyptiis NISI ſeu ſerpentem dictas, quemadmodum ſuo tempore fuſius id explicabimus. Enimverò quorundam tantum anni Pompiliani menſium quantitatem immutare Cæſar maluit, quàm omninò novum menſium Syſtema exhibere; Januarius enim, Auguſtus & December, qui è *Numæ* conſtitutione xxix Dies habuerunt, xxxi acceperunt. Aprilem, qui olim xxix dierum erat, uno die locupletavit, quod & Junio, Septembri atque Novembri ſervata reliquorum menſium quantitate priſtina accidiſſe conſpicimus.

§. 15. Similiter & priſca menſium nomina in anno Cæſareo retenta ſunt, ſi unum excipias Quintilem; Nam præter Januarium, Februarium, Martium, Aprilem, Majum & Junium, reliqui menſes omnes à numero nomina ſua habuerunt olim, verè ut Poëta cecinit:

Martis erat primus menſis, Venerisq; ſecundus,
Hæc generis princeps, ipſius ille pater.
Tertius à Senibus, juvenum de nomine quartus,
Quæ ſequitur numero turba vocata fuit.

Enimverò ſubſequentibus temporibus, menſis qui Quintilis olim vocabatur, in honorem Cæſaris dictus eſt Julius, quod in eundem natalis Cæſaris incideret, uti *Dio Caſſius* annotavit, atq; hanc menſis è ſuo nomine appellationem, inter ho- L. XLIV.

 nores,

in vit. Cæſ. nores, quos nimios receperit Julius, *Suetonius* recenſet. Auguſtus tamen eundem aſpernatus non eſt; Is enim annum à Julio ordinatum, ſed poſteà negligentia conturbatum atq; confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit: in cujus ordinationem Sextilem menſem è ſuo cognomine nuncupavit magis, quàm Septembrem, quo erat natus; quia hoc ſibi & primus conſulatus & inſignes victoriæ obtigiſſent. Conatus

Sueton. in vita Aug. quidem poſteà ſimile quid Nero Claudius eſt, quippe qui Aprilem menſem Neroneum appellari voluit, quemadmodum & Romam Neropolin vocaverat anteà, ſed parum hæc placuerunt exacerbato à Tyranno populo. Eandem fortunam Domitiani nacta eſt conſtitutio, quamvis enim & is Septembrem Germanicũ, Octobrem Domitianum appellari juſſerit, quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet, parum tamen hujus mandati memores Romani, priſtina nomina retinuerunt, quod & Tacito contigit ſex menſium Imperatori, qui menſem Septembrem Taciti nomine inſignivit, idcirco, quod

in Tacito. eô menſe & natus & factus eſſet Imperator, uti *Flavius Vopiſcus* annotavit. Modeſtior his omnibus Tiberius Nero fuit, qui honorem ultro oblatum recipere noluit; Interceſſit enim,

in vit. Tiberij. *Suetonio* teſte, & quo minus in acta ſua juraretur, & ne menſis September Tiberius, October Livius vocarentur.

§. 16. Sed ad Julianam Faſtorum ordinationem redeundum eſt, atque illud monendum non videtur nobis, quod nonnulli putant antiquum menſium ordinem Cæſarem mutaſſe, quamvis enim Februarius, qui Numæ Pompilii tempore ultimus erat anni menſis, ſecundus nunc ſit, attamen ante Julii Cæſaris ætatem translatio hæc contigit fortè, ita enim *Ovidius*:

Primus erat Jani menſis, quia janua prima eſt,
Qui ſacer eſt imis manibus, imus erat.
Poſtmodo creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe viri.

Creati autem Decemviri ſunt Duumvirorum loco, poſtquam Legati cum Atticis Legibus, ad quas conquirendas miſſi erant, ad Urbem redierant, quod anno ab urbe condita 301 accidiſſe

diſſ. Carolus Sigonius annotavit, id eſt, circa annum 407 ante Julianam & 452 ante vulgarem Chriſti Epocham. *Chronol. in Liv.*

§. 17. Hactenus de Kalendario, quod propoſuit Cæſar, ſummatim diximus, nunc quomodo in primis annis intellecta fuerit Julii conſtitutio videmus; quamvis enim clarè ſatis, quo tempore intercalandum Cæſar præceperit, ſupinâ tamen eorum negligentiâ, qui huic negotio præerant, novus in Kalendarium irrepſit error. Cæſare enim, primo biſſextili non ſuperſtite amplius, quippe quem conjurati quidam altero ſtatim Epochæ Julianæ anno occiderant, citius, quàm par erat, intercalatum eſt: Nam qui quarto quovis anno excluſo biſſextili proximo infundere debuiſſent diem, anticiparunt Solares rationes, dum eum biſſextilem fecerunt annum, qui incluſo biſſextili ſupero videbatur quartus, revera autem tertius erat. Nec unâ tantum vel altera vice errorem hunc Faſtorum curatores commiſerunt, ſed triginta & ſex annorum ſpatio duodecies intercalarunt, quod novies ſaltem facere debuiſſent. Poſtquam igitur Octavius Auguſtus pontificatum maximum, quem Lepidus illo ipſo geſſerat hactenus, ſuſcepit, annum à Julio ordinatum, ſed poſteà negligentiâ conturbatum, atq; confuſum, redegit rurſus ad priſtinam rationem. Totum hoc iteratæ correctionis negotium *Macrobius* ità expoſuit: *Sacerdotes*, inquit, *ſibi errorem novum ex ipſa intercalatione fecerunt, nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoq; anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare; illi quarto non peracto, ſed incipiente intercalabant. Hic error XXXVI. annis permanſit, quibus annis intercalati ſunt dies duodecim, cum debuerint intercalari novem. Sed hunc quoque errorem ſerò deprehenſum correxit Auguſtus, qui annos XII ſine intercalari die tranſigi juſſit, ut illi III dies, qui per annos XXXVI vitio Sacerdotalis feſtinationis excreverant, ſequentibus annis XII, nullo die intercalato, devorarentur. Poſt hoc unum diem, ſecundum ordinationem Cæſaris, quinto quoq; incipiente anno, intercalari juſſit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam cuſtodiam inciſione mandavit.* *Sueton. in vit. Aug.* *Saturnal. l. 1. c. 14.*

§. 18. Chri-

§. 18. Chriſtianorum porrò in Sacrorum uſum additamenta quod concernit, primo omnium hi in Nundinarum locum Septimanas ſubſtituerunt. Scilicet antiquis temporibus non tantùm in Kalendas, Nonas & Idus menſes ſuos Romani partiti ſunt, ſed & Nundinas obſervarunt; Annum enim ita diviſerunt, inquit *Varro*, ut nonis modo diebus urbanas res uſurparent: reliquis ſeptem ut rura colerent. Mercandi igitur, vendendiq; cauſa in Nundinis convenerunt, easdemque feriatas olim fuiſſe, uti dubium non eſt, ita faſtas poſteà Lex Hortenſia conſtituit. Sed profanô hoc & quovis ſimili gentilium ritu abolitô feriæ Sacræ ſucceſſerunt in locum, atq; quod Deus ipſe abſoluto creationis opere diem ſeptimum Sacrum pronunciarit, hebdomades ab ipſa mundi origine inſtitutæ ſunt. De Sacris enim Hebdomaticis legem non Judæis primum, ſed diu ante, atq; in ipſa rerum omnium creatione omnibus hominibus latam eſſe, ex hiſtoria, Dei juſſu literis conſignata, abundè liquet.

§. 19. Quare autem Novi Teſtamenti tempore non ultimum, Judæorum more, ſed primum Hebdomadis diem, Sacrum fideles fecerint, ejus rei graviſſimam habuerunt cauſam, quamvis illa nobis nôn æque cognita ſit hodiè, atq; tunc illis fuit. Pandit quidem antiquitatem hujus inſtituti vel ipſe feriæ primæ titulus, quô ἡμέρα κυριακὴ vocatur Apoc. 1, 10. Confirmant eandem Sacri temporum Apoſtolicorum Annales, in quibus eo die conveniſſe fideles, atq; Chriſtianis digna charitatis ſpecimina edidiſſe aliquoties commemorari ſcimus Act. 1, 1. c. xx, 7. 1. Cor. xvi, 1. ſeq. Comprobat denique eam ipſorum gentilium de Chriſtianis opinio, videntes enim feriâ prima convenire fideles, & precum tempore ad orientem vultum uſitate convertere, Chriſtianos Solem adorare mentiti ſunt, uti *Tertullianus* alicubi id refert.

Apolog adv. gentes c. 16.

§. 20. Quemadmodum vero ob repudium feſtorum gentilitiorum & Sanctimoniam diei primi in quavis Septimana Ethnicorum faſtis adverſam, adverſa quævis Chriſtiani perpeſſi ſunt, rogati ſcilicet ab inquiſitoribus, quos Tyranni ſubornarunt; Servaſti Dominicum? ita poſteà quando Con-

ſtan-

ſtantini M. tempore halcyonei dies Eccleſiis illuxerunt, de immutatione priſci Kalendarii, ob Sacra hebdomadica ſive Diem Dominicum Leges prodierunt, cujuſmodi conſtitutio Conſtantino M. tributa in *Codice Juſtinian. Tit. de feriis legitur: Omnes Judices, urbaneq; plebes & cunctarum artium officia venerabili die Solis quieſcant.* Similiter in lege Allemannorū, quæ temporibus Lotharii Regis, una cum Epiſcopis XXXIII, Ducibus XXXIV & Comitibus LXXII conſtituta dicitur, ſequentia leguntur: *Die Dominico nemo opera ſervilia præſumat facere, quia hoc lex prohibuit & Sacra Scriptura in omnibus contradicit. Si quis ſervus in hoc vitio inventus fuerit, vapulet fuſtibus; Liber autem corripiatur, usq; ad tertiam vicem: Si autem poſt tertiam correptionem in hoc vitio inventus fuerit, & Dei cauſa die Dominico neglexerit, & opera ſervilia fecerit, tunc tertiam partem de hæreditate perdat. Si autem ſuper hoc inventus fuerit, ut diei Dominico honorem non impendat, & opera ſervilia fecerit, tunc cuſtoditus & convictus, coram Comite, ubi tunc Dux ordinaverit, in ſervitium tradatur, & quia noluit Deo vacare, in ſempiternum ſervus permaneat.* Tit. XXXIX.

§. 11. Neque vero Septimi diei feriam tantum in Faſtis ſuis Chriſtiani annotarunt, ſed & alios inſuper in Kalendario Juliano feſtos annotarunt dies, de quibus poſtea Imperatores, Chriſtianiſmum profeſſi, peculiares leges ſanxerunt, quales paſſim ſub citato Codicis titulo extant; ita enim *Valentinianum, Theodoſium & Arcadium* A A A decreviſſe legibus: *Omnes dies jubemus eſſe Juridicos, Illos tantum manere feriatos dies fas erit - - - - Sacros Paſchæ dies, qui Septem numero vel præcedunt, vel ſequuntur, Dies etiam Natalis atq; Epiphaniorum Chriſti. & quo tempore commemoratio Apoſtolicæ paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtra à cunctis jure celebratur: in quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus neq; ſpectaculorum copiam relaxamus. In eadem obſervatione numeramus & Dies Solis, quos Dominicos rite dixere Majores: qui repetito in ſe coeunte volumine, in quibus parem neceſſe eſt haberi reverentiam, ut nec apud ipſos arbitros, vel à judicibus flagitatos, vel*

ſponte

ſponte electos, ulla ſit cognitio jurgiorum &c. Similia Francos juſſerunt Ludovicus & Lotharius Imperatores. *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus, hoc eſt diem Dominicum Paſchæ, cum omni honore & ſobrietate venerari. Simili modo totam hebdomadam illam obſervare decrevimus. Diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha. In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum. Nativitatem S. Johannis Baptiſtæ. Aſſumptionem S. Mariæ. Dedicationem S. Michaelis. Natalem S. Remigii. S. Martini. S. Andreæ. In Natali Domini dies IV. Octabas Domini. Epiphaniam Domini. Purificationem S. Mariæ. Et illas feſtivitates Martyrum, vel Confeſſorum obſervare decrevimus, quorum in unaquaq; parochia, ſancta requieſcunt corpora.*

Leg. Franc. L. 1. LXXXII.

§. 22. Feſtorum autem in Kalendario Juliano duplex conſtitutus eſt ordo quorum alter immobilia, alter mobilia feſta comprehendit. Immobilia dixerim, quæ ſtatum atq; perpetuum in Faſtis locum nacta ſunt, quod intelligendum tamen reſpectu diei menſis eſt, non reſpectu feriæ, hanc enim ſi ſpectes, in alios certè, atque alios hebdomadæ dies feſta immobilia omnino incidunt, quemadmodum e Feſto Nativitatis, Circumciſionis & Epiphaniæ Domini, nec non è Feſtis Sanctorum omnibus, erit notiſſimum. E adverſo ea, quæ mobilia vocamus Feſta, in eundem ſeptimanæ diem ſemper quidem incidunt, at in alios menſes ſæpè vel in alios menſis ejuſdem dies, ut ſunt Feſtum Paſchatos, Aſcenſionis Chriſti, Pentecoſtes, S. S. Trinitatis, quibus circa annum Chriſti 1264 Feſtum corporis Chriſti, die Jovis poſt Trinitatis ſolennia celebrandum, Urbanus IV. ad inſtantiam fœminæ cujuſdam, in terra Leodicenſi, ſibi ante papalem dignitatem, familiariter notæ, addidit.

§. 23. Porrò feſta mobilia ad unum omnia à Paſchate dependent, unde de legitimo ejus tempore prolixa controverſia in primitiva Eccleſia exorta eſt. Quamvis enim præſtitiſſet forſitan, ſi & hoc Feſtum immobile feciſſent Chriſtiani, & ſcandaloſas lites evitaſſent potiusquam ſententiam

E.Lu-

B. Lutherus de hac difficultate tulit, quando ſcripſit: Die Chriſten ſolten den Tag des Leidens/ des Grabes und Aufferſtehens nach der Sonnen Lauff gerechnet/ gemercket/ und in den Calender auff gewiſſen Tag geſetzet haben/ wie den Chriſt-Tage/ Neuen Jahr/ der Heiligen Könige/ Liechtmeſſe und Annunciationis Mariæ, S. Johannis und anderer mehr Feſten/ die ſie gewiß nennen Schuch-Feſte heiſſen/ ſo hätte man jährlich gewiß gewuſt wenn der Oſter-Tag und die davon herzu kommen müſſen/ ohne ſolche groſſe Mühe und Diſputation, &c. aliud tamen, priſcis temporibus, fidelibus placuit, qui uti dicto conſentiunt, ad tempus Judaici Paſchatos in ſolennitate hac reſpiciendum eſſe, ita de eo litigarunt, an ipſo plenilunii Paſchalis, (h. eſt, quod æquinoctium vernum proxime ſequitur) die, ſolennitas indicenda ſit, an Dominica ſequens expectari debeat. Priorem conſuetudinem Aſiatici, poſteriorem, qui in Occidente erant, approbarunt, & tanta quidem cum vehementia, imprimis à Victoris temporibus, de hac re diſputatum eſt, ut Orientales Schiſmaticis nominibus, *Judaizantes, fermentarii, Teſſareſcædecatitæ, & Quarto-Decimani*, alteram conſuetudinem obſervantes appellarint. T. VII. Op. Germ. Jen.

§. 14. Finita tandem in Synodo Nicæna ſcandaloſa controverſia eſt, quando Conſtantinus M. acri oratione, Aſiaticis perſuaſit, indignum plane fidelibus videri, ut ritum & conſuetudinem imitantes Judæorum, iſtud feſtum ſanctiſſimum agerent, decere autem Chriſtianos, ut die Dominica feſtum omnes agant. Imperatorio igitur decreto tandem acquieverunt, qui Pontificalia mandata aſpernati erant prius, quod ex Epiſtola Synodica, quam *Socrates* & *Theodoretus* exhibent, ſatis apparet: Ita enim Epiſcopi Nicææ coacti, ad Alexandrinos, & qui Ægyptum, Libyam & Pentapolin incolebant, fratres, ſcripſerunt: *Quod ad omnium conſenſum de Sanctiſſimo feſto Paſchatos celebrando attinet, ſcitote, quod veſtris precibus controverſia de ea re ſuſcepta, prudenter & commode ſedata eſt. Ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Judæorum conſuetudinem ante in eo feſto obſervando imitari ſolent,* Euſeb. de vit. Conſt. l. 3. c. 17. l. 1. c. 9. Hiſt. Eccl.

lent,

lent, jam Romanos, nos & omnes vos, qui eundem morem, quem morem illo recolendo à primis temporibus tenuiſtis, ſive confratribus animos in eodem celebrando deinceps ſedulo ſervari &c.

§. 25. Cæterum ſumma hujus conſenſus capita, Canonibus quibusdam includere audent nonnulli, quos imitatus ſi *Sethus Calviſius* nollet, ſex regulas Paſchales recenſet, quorum

Elench. Cal. Greg. c. 4.

I. Ne Paſcha alio quovis die in hebdomade celebretur, quam die Dominico, ſive feria prima, quam diem Solis appellamus.

II. Ne Paſcha cum Judæis celebretur, ſeu ne Chriſtiani cum Judæis interfectoribus Chriſti in Paſchate celebrando concurrant.

III. Ne Paſcha in duodecimo menſe ante æquinoctium vernum celebretur. Duodecimus menſis autem is habebatur, cujus plenilunium diem viceſimum primum Martii, ubi æquinoctium fiebat, præcedebat.

IV. Ne Paſcha cum Quartadecimanis hæreticis ante plenilunium agatur.

V. Ne Paſcha in ultimam menſis Lunaris hebdomadem rejiciatur, in Dominicam ſcilicet, quæ viceſimum primum diem menſis Lunaris ſequitur.

VI. Ne Paſcha in menſem ſecundum, ſive in menſem impurorum rejiciatur.

§. 26. Hactenus Paſchales Canones, à *Calviſio* exhibiti. Non equidem nos fugit, Canones hoſce nec ab Euſebio, nec à Socrate, nec à Theodorito, vel ullo ejus temporis hiſtorico, expreſſis verbis recitari, ob quod Hiſtoricorum ſilentium Calviſium contumelioſe excepit *Paulus Guldin*, hoc ſimul in Calviſio perſtringens, quod omnia edicta negativa fecerit. Enimvero non primâ vice nodum in ſcirpo quæſiverunt Jeſuitæ, & verba dederunt, inſcitiâ incumbentes. Neque enim difficile erit ulli, qui unum ex altero colligendi artem callet, Canones hos omnes è Synodicis Decretis ſimiliter deducere, poſtquam audivimus congregatos

Refut. Elench. P. 2. c. 3.

Nicæ-

Nicææ Epiſcopos teſtantes, quod omnes in Romanorũ & qui cum iis ſecerant olim, conſuetudines conſenſerint. At quæ fuerit Romanorum & aliorum occidentis incolarum conſuetudo, clariſſime explicat *Theophilus*, quando de Synodo, tempore Victoris Cæſareæ habita, ſequentia perhibet: *Conſtitutum eſt in illa Synodo ab undecimo Calendas Aprilis uſq; in undecimum Calendas Maij, Paſcha debere obſervari, & nec ante nec poſtea uſquam terminos tranſgrediendi ſit facultas. Similiter & de Lunæ præceptum divinum tenemus, quod datum per Moſen ſit nobis obſervatum, à XIIII Lunæ uſq; ad XXI: hæc ergo ſeptem Lunæ in Paſcha poſſibiliter tenendo, omnia ſunt conſtituta. Quando ergo ſit inter ſtatu hunc tenorem ab xi Cal. April. uſq; in xi Cal. Maij dies Dominicus & Lunæ ex ſeptem illis ſanctificatis, competens nobis Paſcha, ut inſtitutum eſt, obſervetur in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui tecum & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.* Hoc Theophili teſtimonium, qui cum Synodi Nicææ decretis confert de Canonibus Paſchalibus, excepto quarto fortitan, quem peculiari de Quartadecimanis diſſertatione explicare animus eſt, non dubitabit amplius, quin potius dicenti paucis multa, debitas aget gratias. in Epiſt. Synod.

§. 27. Atque hanc propoſitam methodum, ſummo ſtudio, in Paſchate indicendo obſervarunt Chriſtiani temporibus Niceni concilii proximi, uſq; adeo, ut in Synodo Antiochena anathema adverſus diſſentientes pertinaciter acceſſerit; Ita enim ejuſdem Concilii Canon I apud Magdeburgenſes legitur: *Omnes qui audent diſſolvere regulam Sanctæ & magni Concilij Niceni, quod celebratum eſt in præſentia DEI, & amantiſſimi Conſtantini Imperatoris, de ſancta & ſalutiferi feſto venerare Paſchali Kalendario noſtro, excommunicatos & abjectos eſſe debere ab Eccleſia, nunc vel ſi perſeverent ſtudio contentionis, ad ſubvertenda ea, quæ optime conſtituta ſunt. Et hæc quidem dicta ſunt de Laicis. Si autem de Præpoſitis Eccleſiæ aliquis, id eſt, vel Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, poſt hanc definitionem & hunc terminum, auſus fuerit, in ſubverſionem populorum & perturbationem Eccleſiarum, ſeorſim colligere, & cum Judæis Paſcha voluerit celebrare, hunc Sancta Synodus jam alienum ab* Centur. 4. c. 9.

Eccleſiæ eſſe judicavit, tanquam eum, qui non ſolum proprii peccati reus ſit; ſed aliorum corruptæ mentis & converſationis ſupplantator extiterit. Et non ſolum hujuſmodi deponi à ſacro ordine & miniſterio jubet; ſed & eos, qui auſi fuerint his communicare, poſt damnationem. Depoſitos autem, etiam honore, qui extrinſecus eſt privari oportet, quem Sanctus Canon & Dei Sacerdotium promeruit. Hæc ſub Conſtantio Imperatore, poſt exactos ab obitu Conſtantii annos quinq; , (non autem in ipſa Nicæna Synodo, uti nonnulli præſumunt) ſtatuta & decreta ſunt, teſte *Sozomeno*.

§. 28. Quemadmodum verò Imperatoria & Synodica hæc conſtitutio vigorem ſuum diu retinuit, pro qua Alexandrinus Epiſcopus, cui indicendi Paſcha commiſſa erat cura, ſollicitè laboravit, uti ex Epiſtolis Paſchalibus *Theophili & Heortaſticis Cyrilli* ſatis liquet; ita nil magis iisdem Canonibus adverſum fuit, quam Cyclica illa, poſt conciliū Nicænum excogitata, methodus. Antiqua enim à Metone primùm propoſita ἐννεακαιδεκαετηρὶς in Chriſtianorū ceſſit uſum, quando ad numeros hujus cycli Terminos Paſchales annotarunt, quæ conſuetudo circa *Dionyſii* tempora in uſu eſſe cœpit. Nam quamvis ſint qui concilii Nicæni Patribus hujus cycli inventionem adſcribunt, manifeſtum tamen ἀναχρονισμὸν committunt illi. Quod ſi enim jam eo tempore Termini Paſchales fuiſſent definiti, indictione Paſchatos, ab *Alexandrino* Epi-
Introd. ſcopo, non fuiſſet opus. Rectius igitur longè *Henricus Philippi*
Chron. l. 8. colligit: Dionyſianum Canonem, quò Feſta mobilia juxta Tabulam Paſchalem inquiruntur, non fuiſſe ubiq; in uſu, uſq; ad annum circiter ſexcenteſimum.

§. 29. Kalendarium igitur noſtrum ab eo imprimis tempore vitia contraxit, ſeu erroneum fieri incepit, quò, neglecto calculo, è tabulis inſiſtendo, cyclus adhibitus eſt, veriſſimè enim dicitur: Compendium hoc diſpendium factum eſſe. Nam ex hoc fonte impuro, terminos Paſchales, citimū XXI Martii, remotiſſimum 18 Aprilis & reliquos extremis his incluſos, perpetuò manſuros eſſe, quicquid vitioſū in noſtro

Kalen-

Kalendario reperitur, unicè manavit. Et quamvis Gregoriani Faſtorum correctores ſaltantare Cyclicam methodum conati, eandem verò abolere prorſus Sacrilegium fore arbitrati ſint, incaſſum tamen laborarunt, nec obolo quidem digni, nedum ampliſſimis illis ſumptibus, quos Pontifex eorum gratiâ impendiſſe dicitur. Ea enim motuum Solarium atq; Lunarium eſt diſpoſitio, ut utriusq; ratiocinia in nullo omnino Cyclo exactè comprehendi poſſint: Quod usq; adeo certum clarumq; eſt, ut Novi Kalendarii conductitius Hyperaſpiſtes Chriſtophorus Clavius, poſt multorum annorum curam tandem fateri neceſſe habuerit, Errores quosdam in novo Kalendario reperiri. Imo Clemens VIII. in peculiari de hac re Bulla, expreſsè ſcripſit, correctum à Gregorianis Cyclum non omnino cum motibus cœlorum conſentire, & hoc in omni CYCLO NECESSARIO EVENIRE, ſatisq; eſſe, quod ERROR HIC, QUI VITARI NEQUEAT, multò rarior deprehendatur in Novo hoc Kalendario, quam in ullo alio, quæ Pontificia verba tom. v. operum ſuorum præfigere non dubitavit *Clavius*. Sed euge Bone Vir, ſi Cycli à motibus cœleſtibus neceſſario diſſentiunt, quæ Anteceſſorum Tuorum fuit ſtoliditas, in Faſtis qui ad leges Aſtrorum componendi erant negligere cœleſtes motus & vitioſos cyclos ſectari? Annon decepiſtis fraudulenter Pontificem veſtrū, qui accepiſſe non Cyclicum Calendarium per decem integros annos, quibus illas Bacchi amphoras Romæ ſuſtinuit, à Vobis expectavit? Nulla certè ætas delebit opprobrium hoc & dedecus, quô & ſeipſos, & Pontificem maculârunt deceptores hi, non correctores. Nos gratulamur Patriæ, quod Romæ potius, quam in noſtris regionibus acciderint hæ fraudes: quod ſi enim in Germania hæc accidiſſent, univerſam gentem accuſaſſent Itali, eidemq; decennem deſidiam acerbè exprobraſſent.

§. 30. Quid demum de quæſtione hac, an & quomodo Faſti Julio Conſtantiniani corrigendi ſint, videatur nobis, coronidis loco, ſalvis aliorum judiciis, breviter exponemus. Et primò quidem negare non poſſumus, tum ſolis ingreſſum in puncta cœleſtia, à priſtinis temporibus receſſiſſe, tum terminos Paſchales vitioſè in Kalendario Veteri annotatos eſſe. Ad-

duci

duci tamen nullatenus poſſumus, ut credamus, vel Gregorianā correctionem approbandam, vel de alia quadam huic ſimili mutatione cogitandum eſſe, quin potius in eā nos opinione ſumus, retenta anni veteris formā, qualis olim tempore Julii fuit, nec ullô, ob æquinoctiorum præceſſionem, exempto die, plenilunium Paſchale, ex accuratiſſimis Aſtronomorū Tabulis, calculi ope, colligendum, & feriâ primâ, quæ plenilunium hoc proximè ſequitur, Paſchatos ſolemnia celebranda eſſe, ita enim fiet, ut ſcopum utriusq; Cæſaris Julii & Conſtantini aſſequamur. De priori enim conſtat, quod civiles Faſtos, à motus ſolis ratiociniis non omnino abhorrentes, ordinare voluerit & huic inſtituto *Soſigenis* definitionem anni ſolaris, quā ſufficientem æſtimavit, accommodaverit. Quod ſi igitur accuratiſſimis Mathematicis, & ipſi *Ptolemæo*, Nabonaſſarei placuerunt Faſti, in quibus horarum appendix, anno Solari accommodata, neglecta prorſus eſt, tanto minus nos Julianum Kalendarium immutandi cauſam habemus, quanto magis cum cœleſtibus ratiociniis illud conſpirat. Recedat igitur æquinoctium in civili anno noſtro, utcunq; velit, Faſtis noſtris nil decedet tamen, cum aliud ſit Kalendarium in Reipubl. uſum conſcribere, aliud ſideralem ſcientiā profiteri, quæ diſparata eſſe omnino judicamus. Quæſo enim Te, cui in univerſa civitate noceat quicquam, quod non Martii die vigeſimo tertio, uti Julii Cæſaris tempore, ſed nono, vel *decimo*, æquinoctium adſcribatur? Annon utrinq;, ad Aſtronomicam hanc notam, locus in Kalendariis noſtris vacat? Ex adverſo autem quanta confuſio, ex univerſali anni Juliani abrogatione, literato orbi impendat, non latere poteſt eum, qui Periodum Julianam abrogandam, omnes Aſtronomicas Tabulas immutandas, & de nova, in ſcientiis his, methodo, cogitandum eſſe, perpendit. Quod adeò clarum eſt, ut Johannes *Keplerus* trium Cæſarum Mathematicus, quando Tabulas Rudolphinas edidit, easdem non ad *Pontificios*, i. Gregorianos, (ineptiſſimos ſcilicet ad omnes Mathematicos calculos) ſed Julianos faſtos, applicare voluit. Deniq; in Paſchate indicendo, quæ Conſtantini M. fuit cura, nulla difficultas remaneret amplius, ſi Aſtronomi conſulerentur, quibus & Æquinoctiorum,

& Ple-

Digitized by Google

& Pleniluniorum tempora exacte cognita ſunt. Non opus certe eſſet Pontificis cujuſdam ſumtibus, nec per integrum decennium expectanda deciſio, ſententiam ſi quis partem ejus impenderet ſummæ, quam impendit *Gregorius*, cujus Paraſitaſtri viſa aut Tonnani (quam vocant) dicuntur conſumſiſſe, plenilunii Paſchalis tempus, ad milleſimum uſq;, ab hoc, annum, exacte notari, placita Niceni Concilii in Solennitate Paſchali obſervari, & Faſti quibus aſſuevimus ſine omni confuſione, retineri poſſent. Breviter: Ut Eccleſia Rempublicam non tollit, ut nec Feſti Dies Faſtos turbarent Cæſareos, eo imprimis tempore, quo antiquæ Legis umbræ evanuerunt, & Apoſtolicum illud axioma, quo tum concludimus, ſucceſſit in locum:

Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει, Col. 2. 16. 17.
ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, ἢ νεομηνίας, ἢ Σαββάτων.
ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ.

S. D. G.

ISthmia cur jactant veloces compita curſus?
Quaque ruant Hiero Strepſiadesq; gradu.
Cur rapidum Tanaim, rapidum miratur Araxem,
Quosq; ciet celeres grandius æquor aquas?
Hæc ſita mirari miracula deſinat orbis:
Quo ſpatio velox mens quoq; currat, habes.
Aſpice, per vaſtas rapitur CHOLREIFFIUS artes,
Et celer ingenio fervidiore ruit.

Eruditiſſimo Dn. RESPONDENTI gratulabat

ÆGIDIUS STRAUCH S. S. Theol. Lic.
P. P. & h. t. Decanus.

Nuper ego vidi ſtudium, doctumq; probavi
Quod Kohlreiffiades eſt meditatus opus;
Scilicet oſtendit Sophiam Salomonis acutam,
Ut Sophiam Doctis comprobet inde ſuam,
Nunc opus egregium tractat, cui Julius ille
Laudatus Cæſar nomina clara dedit.
Computus hic celebris, connexos ordinat annos,
Et quænam quovis tempore facta docet.
O factum ſtudiis dignum præclara Poetarum,
Facta notare ſtylo, Dicta probata ſequi!

m. loq. ſcrib.

ANDREAS SENNERTUS Prof. P.

Optime KOHLREIFI, proles clariſſima Patris,
Qui quondam nobis junctus amore fuit.
Hic didicit mecum linguas, Diamq; Matheſin,
Quicquid & inſignis tota Sophia docet.
Cepit & hic mecum pulcerrima ſerta Minervæ,
Quæ bona NIGRINI dextera utriq; dabat.
Tantus erat genitor nobis & tantus amicus,
Cui reſpondebis ſemper amore pio.
Ipſe tibi faciam, dum Spiritus hos reget artus,
Quæ ſtudiis poſſint commoda ferre tuis.

Optimi Parentis, Amici quondam Academici maximi, filio f.

MICHAEL WENDELERUS D. & P. P.

Ill-

Digitized by Google

HIc Honor, hoc Decus eſt veſtigia clara Parentis
Sectari, moriens vivat ut ipſe Pater!
Hæc Kohlreiſſiades ſtudio ſectatus alacri
Aut gravius nihil aut ſuavius eſſe putat.
O Patrem Genito dignum, Genitumque Parente,
Vivente alterutro vivit uterq; ſimul!

Chriſtianus Trentſchius P. P.

Ad politiſſimum Juvenem,
MATTHIAM ERASMUM KOHLREIFIUM,
popularem & amicum dilectiſſimum,
publicè diſputantem.

INgenium moresq; placent, ſtudiumq;, quod urges,
KOHLREIFI, noſtræ portio grata Scholæ.
Hæc animi grator dotes Patriæq; Tibiq;,
Tum Patriæ atque Tibi proſpera fata precor.

boni ominis cauſâ
lubq; f.
Otho Prætorius P. P.

Anno-

ANnorum numeros Animo præſcire ſagaci,
Et veluti normam ponere temporibus,
Et monſtrare viam Solis, ſic, nullus ut Error
Amplius humanum vexet in Orbe genus,
Hactenus immenſi fuit, aſſ laboris itus, ævi;
Nec tam ſincero Janus honore micat,
Quin ſit adhuc quædam miſcenda licentia Faſtis.
Quid tentare tamen, quid vetet, alta ſequi!
Unde, Tui quoque jam nitidas quando excutis alas,
Vimq; levas ſurſùm nobilis Ingenii,
KOLREIFFI, meritò Numerati Temporis Ordo
Immenſum pariet Laudis agalma Tibi.

Induſtriæ ac Virtuti Clar. Dn. Reſpondentis, Commenſalis quondam gratiſſimi l. m. & deproperab.

JOHANN-DANIEL MAJOR,
Phil. & Med. D.

TEmpus abit, fugit hora recens, mox hora ſequitur:
Sed veluti ſequitur, ſic fugitiva perit.
Ne qua dies pereat Tibi, ne qua vileſcat & hora,
KOHLREIFFI, ſtudio continuante caves.
Inde dies rerum bis quinque relinquere JULI.
Tempora Te linquent nulla, nec ulla dies.

DANIEL Spiegel/ Uratislavienſis.

FINIS.